PROPOSITIONES
DOGMATICÆ CRITICÆ CANONICÆ

QUAS

PROPUGNANDAS EXPONIT

HIERONYMUS FONDA

A S. APOLLONIO

Clericorum Regularium Scholarum Piarum

IN COLLEGIO NAZARENO SACRÆ THEOLOGIÆ AUDITOR.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ROMÆ ANNO MDCCLIV.
Ex Typographia Zempeliana prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

F. M. de Rubeis Patr. Conſt. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Ordinis Prædic. Rm̃i P. Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Socius.

Digitized by Google

De Decretalibus.

I. ET ſæpe alias & hac potiſſimum ætate ob ſcientiarum cultum vere aurea, nos conſecutos eſſe lætamur, quod ad rerum Eccleſiaſticarum gloriam quammaxime pertinebat. Siquidem ſcientiarum omnium opportuna moderatrix Ars Critica leges ſingulis inſtitutis accomodatas condens, atque ab aliis latas ſuffragio ſuo aut irritas, aut firmas declarans, veri, vel falſi, ſuſpicioſi, vel certi, germani, vel adulterini notas momento cuique tam ſcite præſcripſit, ut difficile dictu ſit quanta per eam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ acceſſerit majeſtas.

II. Itaque dicturus ego de Decretalibus Romanorum Pontificum ad Siricium uſque, nemo non videt, quam merito hujuſce præſtantiſſimæ facultatis regulis potiſſimum utar, earumque ductu, exceptis epiſtolis Clementis (*a*), Cornelii (*b*), Stephani, Julii (*c*), Liberii (*d*), Damaſi (*e*), quæ a primitivæ Eccleſiæ Patribus, aliiſque veteribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptoribus referuntur, ceteras commentitias atque apocryphas eſſe declarem. Quod ſane eo alacriore animo efficiam, quo certior ab Eminentiſſimo Baronio (*f*) factus ſum: *illis non indigere Sanctam Romanam Eccleſiam, ut, ſi falſitatis arguantur, ſuis ipſa deſtituatur juribus, & privilegiis; cum etſi illis careat, ex legitimis tamen, germaniſque aliorum Romanorum Pontificum epiſtolis Decretalibus ſatis, ſuperque corroborata conſiſtat.*

III. Hinc ut rem intime perſpiciamus, illud in primis arbitror animadvertendum, tritum ſcilicet, vulgatumque inter Criticos axioma eſſe: *Scripta, quorum nulla mentio in priſcis catalogis, nec memorata ab ullo ſcriptore ſequentium proxime ſæculorum, aut ficta judicanda, aut ſaltem ſuſpecta habenda.* Hoc enim tanti roboris ſemper habitum eſt, ut Euſebius Pamphili libro 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 25., plures rejecerit ſub Petri, Thomæ, Matthiæ, Andreæ, aliorumque Apoſtolorum nomine vulgatos libros, hac præſertim de cauſſa, quod *nihil uſpiam eorum Eccleſiaſticus Scriptor deducta ab Apoſtolis ſucceſſione memorarit*; & cap. 3. librum, cui actus Petri nomen erat, & Evangelium, quod ſub ejuſdem Petri prædicationis nomine circumferebatur, exploſerit, quia

(*a*) Videatur Sancti Clementis epiſtola ad Corinth., necnon fragmentum II. epiſtolæ ad eoſdem, quarum meminit Euſebius, aliique.

(*b*) Duæ S. Cornelii epiſtolæ extant inter opera S. Cypriani, præter eam, cujus meminit S. Hieronymus, & Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 35.

(*c*) Complures Julii I. epiſtolæ ad Orientales, ad Clerum, Populumque Alexandrinum referuntur ab Athanaſio Apologia II., & a Socrate lib. 2. cap. 18.

(*d*) Liberii Epiſtolæ à S. Hilario in fragmentis recenſentur.

(*e*) Una eſt Damaſi, Synodique Romanæ epiſtola ad Illyrici Epiſcopos: quam Theodoretus lib. 2. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 22. inſeruit, aliæque ſunt, quæ penes S. Hieronymum inveniuntur.

(*f*) Baronius ad ann. Chriſti 865.

Digitized by Google

nec vetuſtiorum quiſpiam (ut ipſe inquit) *nec noſtræ ætatis Eccleſiaſticorum Scriptorum deſumto ex iis teſtimonio uſus eſt*. Igitur cum nemo umquam Scriptorum veterum, *Anacleti*, *Evariſti*, *Alexandri*, *Sixti*, *Theleſphori*, *Higini*, *Pii*, *Aniceti*, *Eleutherii*, *Victoris*, *Calliſti*, *Urbani*, *Marcellini*, *Melchiadis*, aliorumque epiſtolas ne nominaverit quidem, eædem confictæ, aut ſaltem ſuſpectæ haberi debent; vel, ut cum Auguſtino loquar, apocryphis jure merito ſunt adjungendæ: *Libri apocryphi* (verba ſunt Auguſtini (*a*)) *Libri apocryphi vocantur*, *eo quod eorum occulta origo non claruit Patribus*, *a quibus uſque ad nos auctoritas veracium ſcripturarum certiſſima*, *& notiſſima ſucceſſione pervenit*.

IV. At dicet fortaſſe aliquis: *Argumentum*, quod vulgo dicitur *negativum nullius reipſa roboris ab emunctæ naris Criticis haberi ſolet*. Ita ſane, ſi ad id confirmandum firmiſſima deſint, ut inquiunt, poſitiva. Verum in re, de qua loquimur, tanta rationum congeries mentis oculis una ſimul occurrit, ut difficile ſit exitum, difficilius principium invenire.

V. Ecquid enim niſi ſuppoſitionem arguit ejuſmodi epiſtolarum laudari in illis plurimas ſacrarum Scripturarum ſententias ſecundum vulgatam, ut ajunt, B. Hieronymi verſionem, quæ circa finem quarti ſæculi peracta cum ſit, a primi, ſecundi, & tertii ſæculi Pontificibus perlegi certe, luſtrarique non poterat? Inter Criticorum Canones principem fere locum is obtinet, quo edocemur: *Liber*, *in quo habentur res Scriptore*, *cujus nomen præfert*, *recentiores*, *genuinos inter illius fœtus percenſeri non poteſt*. Quare adverſus Theodorum Presbyterum memorat in primo codice Photius ab aliis opponi, non eſſe *veriſimile*, *quæ longo tempore poſt mortem magni Dionyſii evenerunt*, *ea Dionyſium deſcribenda ſuſcepiſſe*. Hæc Photius; quibus merito addi poterit, quod *falſus temporum ordo non leve fraudis* in iiſdem proferendis epiſtolis *ſit argumentum*. Etenim in Oratione (*b*) adverſus Græcos aſſeruit, & quidem ſapientiſſime, Tatianus: *Ubi temporum ratio non cohæret*, *ibi ne Hiſtoria quidem vera eſſe poteſt*.

VI. *Stili ſimilitudo*, *idemque ſcribendi character unitatem Autoris* earundem Epiſtolarum *evidenter demonſtrat*. Epiſtolæ ipſæ conſcriptæ *barbaro*, *ſordidoque ſermone alieno penitus ab elegantia*, *& nitore ſæculi*, *quo* datæ *eſſe finguntur*, *non aureæ illius ætatis*, *ſed lutei ſubſequentis ævi Autorem indicant recentiorem*. Et ſane quomodo fieri poterat, ut tot Epiſtolæ eundem ſcribendi characterem, eundemque ſtilum ſervaſſent, ſi a pluribus, qui diverſiſſimis temporibus Romanam rexiſſent Eccleſiam, conſcriptæ, exaratæque fuiſſent? Ne in ipſis quidem ſacris Scriptoribus, qui ſecundum phraſim B. Petri in ſua Epiſt. 2. cap 1. *Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt*, ne in ipſis, inquam, ut advertit Hieronymus *Epiſt.* 117., *& præfatione in Iſaiam* idem ſcribendi ſtilus deprehenditur. Quomodo quis ſibi perſuadeat, priſcos Pontifices elegantius non fuiſſe loquutos, quam infimæ plebis homines, etſi ii, ut plurimum,

(*a*) Lib. 15. de Civitate Dei cap. 23.

(*b*) Quæ legi poterit tom. 1. Biblioth. Græco-Latinæ Patrum.

mum, nobilitate inſignes, ſtudiis, doctrinaque non vulgari exculti, univerſæ Chriſti Eccleſiæ præficerentur. *Liber indoctus*, ajunt Critici, *aut imperitiam redolens, docto viro, quamvis illius nomen præſeferat, non eſt tribuendus*; & paulo infra: *Si ſtilus ſit diverſus a noto aut ſæculi, aut Scriptoris, ſub cujus nomine circumfertur, nec tali ſæculo editum, nec a tali Scriptore exaratum librum ejuſmodi judicamus.* Quemadmodum Euſebius lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 25. ex Apoſtolicorum numero nonnulla exploſit volumina, quia ut ibidem aſſerit, eorum dictionis forma ab Apoſtolica ſcribendi ratione differre quam maxime videbatur.

VII. Verum ut eo, unde digreſſus eſt, redeat ſermo meus: *Si ſilentium de re aliqua, quando ſermo de eadem occurrat, maximi ſemper habitum fuit ab Eruditis*, ſummi reipſa momenti, ad expungendam Epiſtolarum ejuſmodi veritatem erit ſilentium Hieronymi, qui integrum Eccleſiæ Scriptorum Catalogum nobis, ut ipſe aſſerit, exhibiturus, recenſitos Pontifices Siricii deceſſores, ſi tales exaraſſent Epiſtolas, nullo pacto omittere debuiſſet; ſilentium Leonis IV., dum ad Epiſcoporum Britanniæ conſulta reſpondens, teſtatus Apoſtolicam Sedem in Judiciis Eccleſiaſticis ſequi Canones, ac decretalium regulas, ubi ea Romanorum Pontificum decreta percenſuit, quæ in Dionyſii Exigui collectione inveniuntur, ne verbum quidem fecit de Evariſti, Higini, aliorumque ejuſmodi decretalibus; reipſa nunquam id peracturus, ſi tam eximia Pontificiæ poteſtatis monumenta aliena penitus ab omni fraudis vitio detexiſſet. Quod ſi unum Silveſtrum ex Siricii deceſſoribus nominarit, id factum omnino credimus, vel quia mendum in eam epiſtolæ partem irrepſit, quemadmodum opinatur Blondellus (*a*), adeo ut, cum legi deberet *ſcilicet*, ſcriptum ſit *Silveſtri*, vel, ſi ſentire nolimus cum Petro de Marca, qui id poſtea adjectum non immerito conjicit, Leo non ad epiſtolas, ſed ad ea, quæ ſub Silveſtri nomine acta id temporis circumferebantur, attendit. Silentium octo primitivæ Eccleſiæ Conciliorum, quæ de rebus eiſdem, quæ hiſce in decretalibus inſertæ ſunt, ſæpiſſime actura, eaſdem, ſi id temporis viguiſſet, memorare omnino debuiſſent. Ecquid enim, juxta commonitorium Vincentii Lirinenſis, quid ſuavius, quid præſtantius, quidve ad alia atque alia dogmata ſtatuenda conducibilius laudatarum Synodorum Patres afferre potuiſſent, quam univerſalem, conſtantem, communemque Romanorum Pontificum per tria priora ſæcula auctoritatem? Silentium denique Dionyſii Exigui, qui in epiſtola ad Julianum Romanæ Eccleſiæ Presbyterum: *præteritorum*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis Præſulum conſtituta, qua valui, cura, & diligentia collegi, & in quendam redigens ordinem titulis diſtinxi compoſitis, ita duntaxat, ut ſingulorum Pontificum quotquot a me præcepta reperta ſunt ſub una numerorum ſerie terminarem.*

VIII. Neque hujuſce ratiocinationis vis ex eo unquam poterit infirmari, quod Concilium Aquiſgranenſe (*b*), Colonienſe (*c*), Moguntinum

(*a*) Cap. 16. Prologomen. in Pſeudo-Iſidorum, & Turrianum vapulantes.

(*b*) Sub Gregorio IV.

(*c*) Cap. 3.

tinum (*a*), Triburienſe (*b*), Metenſe (*c*), Remenſe (*d*), Benedictus Levita compilator capitularium Caroli Magni, Hincmarus (*e*) Laudunenſis, Luitprandus (*f*) Ticinenſis, Ordo Romanus, Micrologus (*g*), Auctor Apologiæ (*h*) pro Gregorio VII., Anſelmus (*i*) Lucenſis Epiſcopus, Burchiardus (*k*) Wormatienſis, Ivo (*l*) Carnotenſis, Gratianus (*m*), aliique harum Epiſtolarum teſtimonia in confirmationem Catholicorum Dogmatum collaudaverint: Omnes enim Conciliorum Patres, atque Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, qui hactenus adducti ſunt, & qui adduci adhuc poſſent, nono ſæculo antiquiores non ſunt, nec eas Epiſtolas ad ſeverioris Critices regulas revocarunt.

IX. Siquidem Aquiſgranenſe Concilium celebratum eſt anno ſalutis 836., Colonienſe 887., Moguntinum 888., Triburienſe 895., Remenſe 992., Benedictus Levita floruit circa annum 846. Hincmarus Laudunenſis circa 870. Luitprandus circa 950. Ordo Romanus conſcriptus eſt a Bertoldo Conſtantienſi circa annum 1079., quo etiam tempore Micrologus in lucem editus eſt, Auctor Apologiæ pro Gregorio VII. ſcripſit poſt Synodum Romanam celebratam anno 1074., Burchardus Wormatienſis ſcripſit anno 1008., Ivo Carnotenſis ſupremum diem oppetiit anno 1114. Gratianus decretum ſuum abſolvit anno 1151. Ceteri vero omnes Gratiano ipſo poſteriores fuere. Igitur cum ante annum reparatæ ſalutis octingenteſimum trigeſimum nulla decretalium ejuſmodi memoria, nulla penitus mentio fuerit apud majores, manet ſemper in ſuo robore adducta Critices regula, quod nimirum octo priorum ſæculorum ſilentium invictiſſimis junctum rationibus, quibus confictæ decretales ejuſmodi declarantur, poſteriorum temporum teſtimoniis ſit jure optimo præferendum.

X. Primum enim Huetianum (*n*) Axioma eſt, non quod *genuinus* ſit *liber*, qui talis habitus eſt ab Auctoribus, qui ſeptem, aut octo poſt ſæcula floruerunt, ſed *qui genuinus habitus eſt ab omnibus proxime, & continuata ſerie ſequentibus eum ætatibus*. Quare Auguſtinus lib. 33. adverſus Fauſtum cap 6. cum novi teſtamenti libros non ex ſuo, aliorumque ſui temporis teſtimonio, ſed ex conſtanti majorum confeſſione genuinos eſſe comprobaſſet: *Platonis* (ſubdit) *Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejuſmodi Auctorum libros, unde noverunt homi-*

(*a*) Cap. 11.

(*b*) Cap. 21.

(*c*) Sub Arnulpho congregatum cap. 5.

(*d*) Adverſus Arnulphum Archiepiſc.

(*e*) In Libello quem Hincmaro Remenſi Archiepiſc. obtulit, ut hic teſtatur opuſculo 55. cap. 43.

(*f*) Libro de vitis Pontificum.

(*g*) Cap. 10. & 41.

(*h*) Cap. 3.

(*i*) Lib. 1. adverſus Pſeudo-Pontificem, & in collectione Canonum, quam adornavit.

(*k*) In libris, quos edidit decretorum.

(*l*) In ſuo decreto.

(*m*) In ſuo itidem decreto, quod in ſcholiis omnibus juris Canonici legitur.

(*n*) In demonſtratione Evangelica parte 1. pag. 12. editionis Neapolitanæ.

Digitized by Google

hominei, *quod ipſorum ſint*, *niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua* (*a*)?

XI. Nec mirum, quod citata Concilia, Collectores Canonum, Auctores laudati varia ex ejuſmodi Veterum Pontificum Epiſtolis decreta deſumpſerint. Etenim illi de earum Auctoribus parum ſoliciti, nec criticum inſtituentes examen, dum ipſas, quicunque earum eſſet Auctor, quoad Dogmatum veritatem, quoad diſciplinæ rationem, quoad judiciorum ordinem ab Eccleſia receptas dignoſcerent, jure quidem, ubi occaſio ſe præbuit, collaudarunt.

XII. Quapropter Eminentiſſimus Annalium parens tomo x. ad annum Chriſti 865 *excerpta*, inquit, *ex illis Capita a Benedicto Levita primum*, *& poſtmodum ab aliis collectoribus*, *ut Canonibus conſentientia*, *probata uſu potius recipi contigerunt*, *quam conſtanti illarum firmitate*: & aliquibus interjectis: *ipſe Benedictus Levita etſi ex Iſidori collectione accepit multa*, *tamen bene conſcius Auctoritatem illarum Epiſtolarum haud adeo conſtantem*, *ſed nutare admodum*, *nunquam aliquem illarum citavit Auctorem*, *ut fecit in reliquis*, *quarum fides conſtans eſſet*, *ut Innocentii*, *Leonis*, *Gelaſii &c.* Hæc Baronius, quibus merito addi poterit quod Levita ipſe ad finem libri 7. Capitularium profitetur, ſe è Scriniis Moguntinæ Eccleſiæ juſſu Autgarii Epiſcopi tales Epiſtolas protuliſſe, quia Auctoritate Sedis Apoſtolicæ comprobari quam maxime dignoſcebat.

XIII. Quæ cum ita ſint, Gratiani Auctoritas tanti non eſt, ut per eam a ſuſcepto diſſertationis tramite dimoveri poſſimus. Etenim, ut lib. 4. parte 2. cap. 17. num. 10. de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione ſcite, ac ſapienter advertit SS. D. Noſter Benedictus XIV. (*b*), de cujus ſummæ eruditionis, ſapientiæque laudibus nulla unquam poſteritas conticeſcet, major fides præſtanda eſt doctiſſimo ejus emendatori Antonio Auguſtino Epiſcopo Tarraconenſi, quam Gra-

(*a*) Hæc Auguſtinus; Quæ quidem tanti roboris haberi debent, ut, deficientibus tabulis, hoc duntaxat, & non alio argumento probari ſoleant avita bona hæreditario jure ad aliquem pertinere.

(*b*) Scribit enim in loco citato circa medium: *Tractu temporis animadverſum fuit opus Gratiani mendis ſcatere: atque adeo Antonius Demochates*, *& Antonius Contius ejus emendationem aggreſſi ſunt. Celeberrimus ſubinde Antonius Auguſtinus ſuos edidit libros de emendatione Gratiani*, *de qua re etiam ſcribere incœperat Didacus Covarruvias*, *qui poſt animadverſos*, *& reſtitutos fere tercentum locos*, *ſuperſedendum duxit*, *ut audivit Antonium Auguſtinum Romæ eidem negotio operam impendiſſe*, *& prope ad umbilicum perveniſſe*, *ſicut refert idem Didacus lib. 4. variarum Reſolutionum cap. 11. His itaque excitati Romani Pontifices neceſſarium eſſe putarunt manum admovere correctioni operis Gratiani*, *electiſque viris*, *qui tanta in re laborarent*, *opus*, *quod cœptum erat ſub Pio IV.*, *& progreſſum habuerat ſub Pio V.*, *abſolutum tandem fuit*, *& typis editum ſub Gregorio XIII.* Huc uſque Pontifex eruditiſſimus.

Digitized by Google

Gratiano ipſi, quemadmodum liquido patet cuicumque, qui citati Præſulis legat librum, cui titulus *Gratianus emendatus*. Porro hoc in opere citatus Epiſcopus acute, probeque animadvertit multas in Epiſtolis, de quibus loquimur, ex Codice Theodoſiano, ex poſteriorum Pontificum, ac Conciliorum Decretis, multas ex Scholiis, quæ ſub Aniani nomine perleguntur, atque in Theodoſiano Codice extant, inſertas ſententias fuiſſe. Quo certe luculentius excogitari non poterit argumentum, ut confictæ tales Epiſtolæ declarentur.

XIV. At vero ne ſit qui judicet cognationem, quæ inter veterum Pontificum decretales, & Theodoſianum Codicem, nonnullaſque poſteriorum Pontificum, ac Conciliorum Epiſtolas invenitur, non ex eo ortam eſſe, quod qui tales confixit Epiſtolas ex Theodoſiano Codice, ex ſubſequentium Pontificum, ac Conciliorum Decretis eas decerpſerit, ſed quod ſubſequentes Pontifices, Concilia & Patres plurima ex iis hauſerint, ſuaſque in ſententias aſportarint; Ne, inquam, qui id falſo cogitet, inveniatur, animadvertendum in primis eſt, Patres, Concilia, & Pontifices, in quorum operibus ejuſmodi decretalium ſententiæ deprehenduntur, ubi Auctoris cujuſvis alterius decreti, quod citant, & ejus, cui inſcriptum fuerat, meminerunt, nunquam Higini, aut veteris alterius Pontificis nomina protuliſſe: Quod ſaltem honoris cauſſa, & ſtudio oſtendendi antiquitatem illius ejuſdem doctrinæ, quam inculcabant, credi certe non poterit omittere debuiſſe: Secundo, quæ communes reperiuntur ſententiæ non cum ſtilo Scriptorum illius ætatis, qua datæ effinguntur epiſtolæ, ſed cum ſtilo, quo integra ſubſequentium Conciliorum acta, vel Pontificum Decreta exarata ſunt, adamuſſim convenire obſervantur. Igitur ſi certus, uti certiſſimus ille Critices Canon eſt: *Sententiæ non illi, cujus ſub nomine circumferuntur, ſed ei, cujus ſtilum præſeferunt, ſunt adſcribendæ*: Si verus, inquam, hic Critices Canon ſit, non ex veteribus Poſteri tales ſententias excripſerunt, ſed poſteriores veteribus perperam affinxerunt.

XV. Quod & earundem Epiſtolarum argumenta demonſtrant. Nullo enim pacto convenire ea videntur cum primis iis Eccleſiæ ſæculis, quibus Pontifices illi Siricii Deceſſores mortalium in numero verſabantur; Nullum ibi verbum de primorum ſæculorum Hæreticis, nullum de perſecutionibus adverſus Chriſti Eccleſiam diverſo tempore excitatis, nullum de Confeſſorum ſolamine, nullum de exhortatione ad Martyrium, nullum de lapſis, aliiſque id generis, quæ primis iis Eccleſiæ ſæculis occurrebant, & quæ in coævis aliis quorundam Romanorum Pontificum, ac Sanctorum Patrum ſcriptis, quæ devicta temporis injuria, ſuperſunt, ſæpiſſime recenſentur.

XVI. Non ergo ſummis primitivæ Eccleſiæ Paſtoribus juxta regulas Critices ullo pacto poterunt adjudicari. Præſertim quia ipſe SS. D. Noſter Benedictus XIV., qui quantum dignitate reliquis hominibus præſtat, tantum eruditionis, ac ſcientiæ laude eximiis noſtræ ætatis ſcriptoribus præeſſe viſus eſt, in nunquam ſatis ſuperque laudato Opere de Servorum Dei Beatificatione lib. 1, cap. 3. §. 3. cum de colligendis Actis Marty-

Digitized by Google

Martyrum ſermonem inſtituat, licet primam hac de re Fabiani Pontificis decretalem adduci poſſe commemoret,ea nihiluminus,commentitia utpote, minime contentus,ſinceriora exS.Cypriano in medium judicat proferenda.

XVII. Verum cum tanta mihi dicendi copia non ſuppetat, ut hæc omnia recenſere pro dignitate poſſim, de eo tandem, qui talium Epiſtolarum collectionem peregit, ſermonem inſtituam: Atque in primis præmittam, S. Iſidorum Hiſpalenſem, cui prudentia, conſilioque neminem anteponas, paucos jure conferas, hujus collectionis Auctorem falſo ab aliquibus reputari. Obiit enim eximius hic Sanctitate Vir, vel anno peractæ Redemptionis 647., ut Veſæus in Chronico autumat, vel 643., ut Rodericus Toletanus lib. 2. Hiſtoriarum cap. 18., vel 635., ut Officium proprium Sanctorum Hiſpaniæ, vel certe anno reparatæ ſalutis 636. Cinthila Regnum incunte, Heraclii Auguſti anno 26., ut teſtatur Redemptus illius Diaconus in Hiſtoria ipſius vitæ, Braulio Cæſaraugustanus in Catalogo operum Iſidori, Lucas Tudenſis lib. 3., Mariana lib. 6. cap. 7., Baronius ad hunc annum, Grialus adnotationibus in Redempti narrationem, ac tandem liquet ex ſexti Toletani Concilii ſubſcriptionibus; Namque hoc congregatum cum fuerit anno 638., eique ſubſcripſerit Honoratus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui Iſidoro, poſt amotum Theodiſcum, ſucceſſerat, liquido conſtat duobus ſaltem, tribuſve annis ante, Iſidorum ipſum è mortalium numero deceſſiſſe.

XVIII. Itaque qui tales Epiſtolas collegit primus, vel potius conſtruxit, quicumque ipſe ſit, ab Iſidoro Hiſpalenſis Eccleſiæ Epiſcopo longe alius fuerit neceſſe erit. Meminit enim Concilii Toletani undecimi, quod celebratum eſt anno 675. ab Iſidori obitu 39., meminit Concilii Generalis VI., quod Conſtantinopoli habitum eſt anno 681., quadraginta quinque annis poſt obitum Iſidori, meminit Gregorii II., & III., nec non Zachariæ Summorum Pontificum, qui poſt annum ſeptingenteſimum floruerunt: Quinimmo cum plurima, quæ in quinto Etymologiarum libro à B. Iſidoro, ſeu poſt ejus mortem à Braulione Cæſarauguſtano Epiſcopo fuerant exarata, in hujuſce collectionis Præfatione deprehendantur, Decretalium collectionis Auctorem ab ipſo Iſidoro diverſum quam maxime patefaciunt. Nullus quidem magni nominis Scriptor, nulla cogente neceſſitate, recoctam crambem Lectoribus ſolet apponere, aut ex opere, quod ignorat, ſententias in rem ſuam poteſt transferre.

XIX. Quæ omnia ſi parvi ab aliquo ducerentur, utpote quæ poſt Iſidori mortem potuiſſent illius collectioni ab alio adjungi, is certe ab hac opinione recederet, ſi cogitaret, nullam collectionis ejuſmodi mentionem fieri in ſcriptis Braulionis, & Ildefonſi, qui cum Hiſpalenſe vixerunt, omniumque illius librorum Catalogum ſe reliquiſſe poſteris teſtati ſunt.

XX. Cum igitur Iſidorus Hiſpalenſis non fuerit, quem umquam talium Epiſtolarum collectorem, vel potius Auctorem eſſe dicemus? Occurrit initio noni ſæculi Eulogii Cordubenſis Frater, Iſidorus nomine, Hiſpanus genere, conditione Mercator. Porro cum Bætici, Carthagi-

Digitized by Google

nenſes, Luſitani ſub Maurorum Tyrannide miſerrimam vitam ducerent, cum Gallæci, Aſtures, Cantabri, Tarraconenſes Gallorum auxiliis vix ſuſtentati quotidie pro vita, pro fide, pro libertate pugnarent, Alvarus, Iſidorus, & Eulogius Fratres, ſive ob ſuſpicionem initæ cum Francicis Ducibus conjurationis, ſive ob alias quaſcunque cauſſas, Saracenis inviſi, ita ſibi fuga conſuluerunt, ut ubi Eulogius, quemadmodum ipſe teſtatur in Epiſtola (*a*) ad Willeſindum, Pompelone ſubſiſtere coactus ſit, Alvarus, & Iſidorus, perrupto obice, inter Germano-Francos perfugium quæſierint, ac Moguntiæ per annos aliquot negotiatorum contubernio uſi, ſublevandæ fortaſſis inopiæ cauſſa, mercaturam aliquam exercuerint. Itaque cum id temporis, quo Moguntiæ hi moram ducerent, Moguntini, uti liquet ex Præfatione Benedicti Levitæ, eo majore animorum contentione ad Apoſtolicam Sedem appellationes inſtituendas defenderent, quo majore eas alii conatu oppugnare nitebantur, facile credi poterit unum ex hiſce Eulogii Fratribus, Iſidorum nempe, quo vires eis, qui pro veritate pugnabant, adjungeret, haſce ſub nomine antiquorum Pontificum Epiſtolas ſuo ipſum marte confeciſſe.

XXI. Ecquid enim harum Epiſtolarum ſerie ad litem hanc dirimendam conducibilius, & quis ad comparandam eiſdem fidem Hiſpano Mercatore opportunior potuiſſet promulgator excogitari? Credidiſſent namque populi (ut reipſa crediderunt) collectionem hanc de Hiſpaniis ab Hiſpano mercatore quidem, ſed pietatis cauſſa profugo, pretioſum veluti theſaurum barbaricæ Maurorum libidini ſubductam eſſe, eamque ut Germano-Francis amiciſſimis Fidei potius concreditam, quam furentium prædonum periculis objectam, ſummo in honore, maximaque in veneratione habuiſſent. Quare Chriſtianus Lupus (*b*) rite judicavit Decretales ejuſmodi viri Hiſpani opus eſſe: *conflatum* (ut inquit) *ad ſuis contribulibus retinendam, aut refricandam, quam Barbarica calamitas dormire coegerat, antiquorum Canonum memoriam; præſertim circa Romanas appellationes, aliaque Capita Romani Primatus. Etenim uti Vigilius Tapſenſis Epiſcopus varia ſub Sancti Athanaſii, ac etiam ſub Idacii Clari nomine ſcripſit contra Arianos, ita hic Auctor contra veros, aut fictos æmulos Romanæ Cathedræ. Eſt vetuſta hæc, quandoque in bonum, quandoque in malum induſtria; Nam & in libro de Pelagii apud Dioſpolitanam Synodum geſtis ſcribit Sanctus Auguſtinus:* mihi quidem fratres noſtri nonnulla opuſcula meo ſub nomine in Hiſpaniam veniſſe dixerunt, quæ licet ab eis, qui alia noſtra legiſſent, non agnoſcerentur, ab aliis tamen noſtra eſſe credebantur: *Iſta induſtria plures nobis apocryphas peperit ſcripturas:* Non ergo Iſidorus Hiſpalenſis ſæculo ſexto & ſub initio ſeptimi (ut ſuperius demonſtratum eſt), ſed alius tali nomine ſæculo octavo Iſidorianæ collectionis habendus eſt Auctor;

(*a*) Legi hæc poterit part. 1. t. 9. Biblioth. Patrum.

(*b*) Videatur opus, cui Titulus: *Divinum, ac immobile Sancti Petri circa omnium Fidelium ad Romanam ejus Cathedram appellationes aſſertum privilegium*, idque præſertim *in diſſertat.* 1. *cap.* 35. *pag.* 361. *editionis Moguntinæ ann.* 1681.

Digitized by Google

ctor ; (licet Iſidori nomine deceptus Remenſis Hincmarus , eum Hiſpalenſem crediderit , cæteriſque occaſionem præbuerit , ut ipſi quoque ſecum una deciperentur) .

XXII. Hinc ſi alicui in votis ſit ſcire , cur hic Epiſtolarum Auctor, non Mercatoris tantum, ſed Peccatoris adhuc nomine inſignitus quibuſdam in codicibus inveniatur , facile id perſpiciet , ſi memoriam illius temporis repetere velit : Iis porro Eccleſiæ ſæculis Epiſcopos , dum Conciliorum Decreta ſua ſubſcriptione firmarent , Peccatoris nomine maxime gaviſos eſſe invenimus , quemadmodum in Concilio Turonenſi I. & II. , Pariſienſi III. , Matiſconenſi I. , aliiſque , quæ brevitatis gratia omittuntur ; Peccatoris quoque titulo uſum eſſe legimus Eulogium ejuſdem Iſidori fratrem Memorialis lib. I. , & Apologetico Sanctorum, ubi inquit : *Ego interim Peccator Eulogius* ; Ac denique tum ad finem ipſius Apologetici , tum in documento Martyrii , tum ad finem Epiſtolæ ad Willeſindum repetit : *Ego ille Peccator* . Cum ergo mos hic tam laudabilis apud viros numeris omnibus abſolutos id temporis invaluiſſet, nil mirum , ſi hujus collectionis Auctor ſe ipſum quoque ſub Peccatoris nomine publicarit . Mercatori igitur Iſidoro , ſive Peccatori , non vero Hiſpalenſi harum Epiſtolarum congeries eſt tribuenda , quemadmodum ſenſit Emus Baronius ad annum Chriſti 102. num. XI. inquiens : *Iſidorus non ille Sanctus Epiſcopus Hiſpalenſis , ut multi nomine decepti ſunt opinati , ſed ille dictus cognomento Mercator , ut ſuo loco dicemus , collectionis Auctor eſt .* Atque ut omittam Antonium Auguſtinum (*a*) ex Epiſcopo Ilerdenſi factum Archiepiſcopum Tarraconenſem , Antonium (*b*) Contium Juriſconſultum præclariſſimum , Natalem (*c*) Alexandrum, Petrum (*d*) de Marca, Cardinalem (*e*) Cuſanum, alioſque plurimos , ſenſit & Emus Bona , dum libro primo Rerum Liturgicarum ; *Dudum* , inquit , *ab eruditis obſervatum eſt* , *Romanorum Pontificum Epiſtolas Decretales uſque ad Siricium ſuppoſititias a quodam Hiſpano ſub nomine Iſidori ſub finem ſeptimi ſæculi pia fraude confictas , & ſententiis veterum Canonum , Legum etiam Civilium , & Sanctorum Patrum , qui quarto , & quinto ſæculo floruerunt , turpi anacroniſmo , eodemque fere ſtilo , & dicendi charactere magna ex parte contextas eſſe.* Huc uſque Cardinalis ampliſſimus . Quare non ineleganter de Blondello , qui in Pſeudo-Iſidoro ſuo plurima fraudis vitia in ſingulis ejuſmodi Epiſtolis detegere conatus eſt , fertur jocoſe dictum a Patre Sirmondo, *eum totis viribus , atque immenſo conatu , januam per ſe jam patentem effringere ſuſcepiſſe .*

XXIII. Quæ cum ita ſe res habeat , nemo eſt , qui non videat , quo-

(*a*) In ſuo Gratiano emendato , & ad Hadriani I. Capitulorum collectionem , præſertim 36.

(*b*) In Præfatione , quam notis ſuis in Corpus Juris Canonici præfigendam compoſuit , atque in annotat. Canon. 70. diſtinct. 16.

(*c*) In Hiſtor. Eccleſ. Sæculi I. Diſſert. XXI. Schol. 2.

(*d*) De concordia Sacerdotii , & Imperii lib. 3. cap. 5.

(*e*) Lib. 2. de concord. Cathol. c. 37. , & lib. 3. cap. 2.

Digitized by Google

quomodo intelligenda ſint verba illa (a) Gelaſii, quibus ſtatuitur: *Decretales Epiſtolas, quas Beatiſſimi Papæ pro diverſorum temporum conſultatione dederunt, venerabiliter recipiendas*. Enimvero cum Gelaſii ſententia nihil peculiare habeat, nihilque definitum, ejus conſtabit veritas, etſi non ad Decretales Cleti, Higini, aliorumque, de quibus loquimur, referatur, ſed eas duntaxat reſpiciat, quas Clemens, Cornelius, Stephanus I., Julius, Liberius, Damaſus, Siricius, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Sixtus III., S. Leo, Hilarus, Simplicius, & Felix III. Deceſſores Gelaſii exararunt. Hi namque diverſis temporibus ab Urbe Roma pro diverſorum Patrum conſultatione Decretales Epiſtolas ediderunt.

XXIV. Quod ſi S. Nicolai Magni Epiſtola ad univerſos Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopos ab aliquo nobis objiciatur, ex ea quidem nullo pacto, qui Auctores Epiſtolarum ejuſmodi fuerint, pateſiet (cum de hoc (b) nulla Nicolaum inter, & Gallicanos Antiſtites oborta fuerit controverſia), ſed earum duntaxat auctoritas innoteſcet, earum ſcilicet, quas Eccleſia uſu ſuo receperat, & Apoſtolica Sedes ſuo oraculo firmas reddiderat. Venerabiliter porro recipienda eſt Dogmatum veritas, Diſciplinæ ratio, Judiciorum ordo, qui hiſce in Decretalibus invenitur: Deſumptus quippe eſt, ut uberius, quam par erat, oſtendimus, ex poſteriorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum Decretis, quæ quantam a nobis venerationem exigant nemo eſt, qui non videat, dignoſcatque.

XXV. Quæ omnia tametſi notiſſima ſint, & a Catholicorum nemine in dubium vocata, ea tamen oportuit paullo diſtinctius enarrari, & in memoriam reduci, ut quiſque apertius vim intelligeret argumenti, quo meum innititur propoſitum, ſcilicet S. Nicolaum Magnum, non quis eſſet auctor, ſed quanta Decretalibus hiſce ineſſet auctoritas, adverſus refragantes Gallos ſolummodo propugnaſſe. Etenim dum ex ſententia S. Leonis (c) Magni *omnia Decretalia omnium Deceſſorum ſuorum* ibidem obſervanda proponit, profecto non omnium omnino Decretalium, quæ in præſentiarum habentur, deſignat antiquitatem, ſed quoad hanc ea ſolummodo ex Iſidoriana Collectione reſpicit, quæ revera genuina ſunt, eoſque appellat Pontifices, qui reipſa epiſtolas conſcripſere. Probent ergo adverſarii (quod nunquam certe probare poterunt) pro-

bent

(a) Vid. Acta Synodi Rom. ſub Gelaſio habitæ anno 494.

(b) Quapropter Baronius ad annum Chriſti 865. §. 5. *Verum*, inquit, *verum his temporibus, cum recens haberetur earum editio, nec perfecte in omnibus cognitæ eſſent, nondum admota lucerna Cleanthis, ea ex parte tantum* Galli *eas recipiendas negarent, quod extra corpus Canonum ſuo ſeorſim volumine poſitæ haberentur, hanc objectionem eorum magni eſſe poſſe momenti Nicolaus conſiderans, dum reliquæ omnes Romanorum Pontificum extrapoſitæ Decretales abolerentur una iſta ſententia, reſcripſit ad eos epiſtolam Decretalem magni ponderis*.

(c) Vid. hujus Summi Pontificis epiſt. data ad univerſos Epiſcopos per Campaniam, & Picenum, vel Tuſciam, & per univerſas Provincias conſtitutos.

Digitized by Google

bent juxta regulas Critices ex teſtimonio Scriptorum coævorum, vel proxime ſequentium a Lino, Cleto, Evariſto, aliiſque epiſtolas reipſa conſcriptas, illaſque eas omnino eſſe, quæ ab Iſidoro Mercatore, ſeu Peccatore in collectione ſua proponuntur, atque ita jure colligent de iis B. Leonem loquutum eſſe, eaſque, ex ejuſdem S. Leonis ſententia, B. Nicolaum in epiſtola, quæ nobis objicitur, reſpexiſſe.

XXVI. Hinc ſummo vitio, & crimini poſt Centuriatores *(a)* dandum eſt Blondello Calviniani gregis homini, quod citato in libro, qui inſcribitur, *Pſeudo-Iſidorus, & Turrianus vapulantes* dementiſſima, inconſideratiſſimaque temeritate ſuppoſitas haſce Epiſtolas conviciis, & maledictis proſcindere non vereatur. Honoris enim obſervantia, & non præfracta deſpectio iis exhibenda eſt veritatibus, quas tam docte, quam pie aſſertas, propugnataſque in ejuſmodi Epiſtolis invenimus: Præſertim cum ipſe Blondelli conatus, etſi ſui odii virus longe lateque diffundat, tueatur potius, quam oppugnet Apoſtolicæ Sedis auctoritatem. Abjudicat enim plurimas harum Epiſtolarum ſententias a Cleto, Evariſto, Higino, aliiſque Petri Cathedræ Pontificibus, eo potiſſimum argumento, quod Conciliis, Patribus, aliiſque optimæ notæ Scriptoribus, qui uno ferme, aut altero poſt eos ſæculo floruerunt, unice ſint adſcribendæ *(b)*. Igitur contra finem, quem ſibi poſuit in mente, talia ex quarto, quinto, ac ſexto Eccleſiæ ſæculo Pontificiæ Auctoritatis monumenta produxit, ut quæ ſummo labore evertenda ſuſceperat, luculentiſſime ſuo in opere confirmarit.

XXVII. Nihil ergo jam ſupereſt, niſi ut Decretales Pontificum ad Siricium uſque, exceptis iis, quæ a primitivæ Eccleſiæ Scriptoribus recenſentur, commentitias jure merito ſtatuamus; Iſidorum Mercatorem, ſeu Peccatorem earundem Epiſtolarum Auctorem eſſe dicamus; Ac tandem Leonis, Gelaſii, Nicolai Magni, aliorumque Summorum Pontificum Decreta, vel de iſtis minime intelligenda, vel ſi de his intelligi velimus, non ad Auctorem, ſed ad Dogmatum veritatem unice referenda eſſe pro certo habeamus.

De Præadamitis.

I. QUalis Hieronymo viſus eſt Jovinianus lib. 1. adverſus eundem; ſcilicet *vel per febrem ſomniare, vel abreptus morbo phrenetico Hippocratis vinculis alligandus*: Talis viris probis apparuit Iſaacus Peyrerius impiæ, ac ſtultæ Præadamitarum hæreſis inventor, cum autoritatem ſacrarum Scripturarum, quam ſibi objicere debuiſſet, neſcio qua confidentia, adſciverit in patrocinium cauſſæ ſuæ. Ajebat enim: Pentateuchi auctor, Judæus utpote, cujus inſtitutum erat ſcribere initium, leges, propaginem Gentis ſuæ, expoſita Geneſeos 1. creatione aliarum Gentium, in 2. ejuſdem Geneſeos cap. novam propoſuit creatio-

nem

(a) Centuria 2. cap. 7.
(b) Citato in libro, cui titulus *Pſeudo-Iſidorus* Prolegomenon cap. 12. & 13.

nem Adami primi hominis judæi, a quo Gens illa peculiaris, & electa ſuam traxit originem.

II. En virum ſeverioris Critices canones plenis buccis crepantem! Quid enim? nunquid non in 2. eodem Geneſeos capite, ut verſu 7. hominis, ita verſu 4., & 5. creationis cæli, terræ, plantarumque a Moyſe repetitur enarratio? Igitur ſi, Peyrerio judice, verſu 4., & 5. ſecundi capitis non alii cæli, non alia terra, non plantæ aliæ proponuntur creatæ, quam quæ primo capite ſunt propoſitæ, nec pariter verſu 7. ſecundi ejuſdem capitis alia hominis deſcribitur creatio, quam quæ primo capite memoratur.

III. Riſum vero excitat, quod ſtultam hanc in ſententiam ipſe devenerit, propiereaquod intelligere non poterat, quomodo ea multa, quæ peracta dicuntur a primo creato homine ad Evam uſque ex Adami latere eductam, dimidio unius diei peragi potuerint. Quam leve enim, ineptumque argumenti genus hoc ſit, dignoſcet facile qui animadvertat, infinitam Dei virtutem, & potentiam eſſe, eamque, de cujus operibus ſcite Auguſtinus ſcripſit ad Voluſianum epiſt. 3., nunc 137. cap. 8. *Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare: Demus, Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

IV. Accedit, quod eodem 2. in capite, enarrata creatione cæli, & terræ, additur: *& homo non erat, qui operaretur terram.* Hoc enim verum non foret, ſi, juxta Præadamitarum ſomnia, ante Adamum fuiſſent Gentes illæ, quarum Parens in primo capite deſignatur. Non diverſa igitur, ſed eadem, quæ in primo Geneſeos capite brevius propoſuerat Moyſes, prolixius, & accuratius in ſecundo capite explicavit. Atque ideo dicendum cum Apoſtolo Actor. 17. v. 26., quod *fecit Deus ex uno*, ſcilicet ex Adamo, *omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ.*

V. Plurima alia Peyrerius contorta, & aculeata ingerit ſophiſmata ex verſu 12. 13., & 14. capitis quinti epiſt. ad Rom., ex Sinarum, Chaldæorum, Ægyptiorumque fabulis, ac commentitia eorum origine, quæ hic percenſere nec juvat, nec decet. Talia enim ſunt, ut appoſite in hunc delirum hominem ſcribenda videantur quæ Auguſtinus ſcripſerat contra Creſconium lib. 2. cap. 12. num. 15., videlicet, *quomodo ſperem, te auditurum eſſe quod dico, qui tam in proximo non audis ipſe quod dicis, cum tibi continuo contradicis?*

VI. Hanc denique ad redarguendam pervicaciam erudite congeſta ſcire cupientem docebunt Urſinus Danhauverius, Euſebius Romanus, Meretzius Groeningenſis Theologus in opere, cui titulus *Refutatio fabulæ Præadamiticæ abſoluta ſeptem primariis quæſtionibus, cum præfatione apologetica*, docebunt Morinus, Antonius Hulſius in libro inſcripto *non ens præadamiticum*, Joannes Pithius, Joannes Hilpertius in *diſquiſitione de Præadamitis*, aliique. Ille enim expoſita in deliramenta vix abiit, cum Catholici complures in eum illico inſurrexerunt adeo, ut, Hermantio teſte in hæreſum hiſt. italice traducta, & Venetiis edita

anno

anno 1735. pag. 352., ultimum ignis ſupplicium proculdubio expertus eſſet, niſi ad pedes Alexandri VII. cum confugiſſet, tum voce, tum ſcriptis veſanam hanc hæreſim ejuraſſet.

VII. Nullum ergo nedum firmum, ac validum, ſed ne mediocre quidem a Præadamitis produci poterit argumentum, quo eorum ſyſtema minus veritati contrarium deprehendatur.

De vera Scripturarum interpretatione.

I. DIximus de Præadamitis, nunc autem de aliis ex eodem grege pauca dicenda ſunt. Duplicem hi in Scripturis perſpicuitatem agnoſcunt, externam unam, quæ ex illius propoſitione ortum habet, interiorem alteram, quæ ex penetratis ejuſdem Scripturæ oraculis ſtatim exurgit. Primam ex ſe ipſa prodire, ſecundam vero (non ægre utar verbis, quibus, ſin minus latine, certe magis dilucide explicatur res) ſecundam, dico, per Œſtrum, ſive inſpirationem, quam ſibi novitatis amatores a Domino promiſſam ſomniant, dictitant liquido aperiri. Itaque de hoc una mente, unaque voce conſentimus cum ipſis, quod ſacræ Litteræ firma Fidei norma ſint judicandæ; Diſſidemus autem in eo, quod, ubi ipſi normam, & Judicem inſcite, imprudenterque confundunt, nos unam ab altero diſtinguimus adeo, ut, contendentibus illis Scripturam, judicem, & normam quid unum eſſe, confirmemus nos & Scripturam credendi, operandique eſſe regulam, & Judicem ad eam certo, & infallibiliter interpretandam neceſſario admitti oportere, eumque vel Pontificem Maximum eſſe, qui ex cathedra, ut inquiunt, loquatur, vel Synodum Œcumenicam, quæ verum ſacrarum Litterarum ſenſum, quin ullus relinquatur dubitationi locus, palam omnibus manifeſtet.

II. Hæc eſt doctrina, cum qua nata eſt, & crevit Eccleſia; Hanc præſtantes ſapientia, & ſanctitate Viri perpetuo ſcriptis commendarunt ſuis; Ab hac qui recedunt, ii a catholicæ veritatis laude abſunt quam longiſſime. Quod enim opponi ſolet ab iis, nequit reipſa conſiſtere, niſi perturbentur Scripturæ. Porro *revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua* cecinit Pſalmiſta pſal. 118. v. 18., & v. 34. *da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*. Diſcipulis adeuntibus Emmaus, ut accepimus a B. Luca cap. 24. v. 27. Jeſus apparuit, *& incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant*. Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, cum Iſaiam legeret, ac interrogaretur a Philippo, num lecta intelligeret, reſpondit Actorum 8. v. 31. *& quomodo poſſum* intelligere, *ſi non aliquis oſtenderit mihi?*

III. Scriptum igitur Dei verbum, ipſa Scriptura teſte, perſpicuum nobis non fit, niſi explicetur ab his, quibus a Domino dictum eſt, Matthæi 5. v. 14., *vos eſtis lux mundi*, qui ad Eph. 4. v. 11. *Paſtores* proclamantur a Paulo, *& Doctores*, quorum ex ore legem requirere a Malachia cap. 2. v. 7. jubemur. Tanti enim hoc intereſt, ut ad Deum converſus ſcripſerit Vates regius citato pſal. 118. v. 130. *declaratio ſermo-*

mo-

monum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis, iis ſcilicet, qui, quemadmodum hominem vere chriſtianum decet, magiſterio ſubjiciuntur Eccleſiæ, ut doceantur. Siquidem, quæ latent in Scripturis, myſteria abſconduntur his, qui de mundi ſapientia, & prudentia præ cæteris gloriantur, patent vero iis, qui veritatis lac ex uberibus Eccleſiæ dum hauriunt, felices parvuli Matth. 11. v. 25. a Chriſto Domino dicti ſunt.

IV. Quid ad hæc Hæretici, quos diris malis devotos, & anathemate a Paulo percuſſos paternæ, & avitæ dæmonum fraudis æmulatores Nicæni Patres dixere? Reponent fortaſſe, Davidem, qui luculentiſſima nobis ſuppeditat argumenta, hebraicam linguam non egregie calluiſſe, ſuperbia tumidum fide omni deſtitutum eſſe, aliaque id genus effugia, quæ ſuis ut gregalibus fucum facerent, excogitarunt? Nullo pacto. Hæc enim ſi dicerent, prodigio ſimilem ſuam nobis impudentiam aperirent, nullumque proferrent verbum, quo non ſuo veluti gladio jugulari poſſent.

V. Dicent ergo, poſt promulgatum ſolummodo Evangelium, & Spiritus Sancti adventum Scripturarum perſpicuitatem exortam eſſe. At poſt promulgatum Evangelium Apoſtolorum Princeps *epiſt. 2. cap. 3. v. 16.* de epiſtolis B. Pauli memoriæ prodidit, *quædam* in ipſis eſſe *difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*: Actorum quoque 15., poſt adventum Spiritus Sancti, cum *quidam deſcendentes de Judæa* docerent *Fratres, quia, niſi* circumciderentur *ſecundum morem Moyſi, non poſſent ſalvari*; Fideles non ad Scripturarum oracula, ut ipſa conſulerent, ſed *ad Apoſtolos in Jeruſalem*, ut verum eorum ſenſum ſibi ultimo definirent, *ſuper hac quæſtione* aſcenderunt. Quare Apoſtoli ipſi cum ſuo Principe Petro, quo ſe ſolos, ſuoſque in Epiſcopatu ſucceſſores controverſiarum ejuſmodi inſtitutos a Deo judices patefacerent, *viſum eſt*, dixere, *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*: *Spiritui Sancto*, nimirum, qui in Scripturis, & Traditionibus id revelavit, *nobis*, qui facultate, quam ab eodem divino Spiritu accepimus, ex Scripturis, & Traditionibus certo, & infallibiliter hoc definivimus.

VI. Cæterum ſi eccleſiaſticæ hiſtoriæ rationem hæretici haberent, & primitivæ Eccleſiæ temporum, quæ laudibus alioquin efferunt, conditionem perſpicerent, talia utique non blaterarent. Si verum namque, quod dictitant, cur ab ipſo Eccleſiæ exordio, diſceptationibus in cauſa Fidei obortis, Fideles Scripturam non quidem, ſed Eccleſiam, ut certo Scripturam exponeret, appellarunt? Cur, juxta Chronicon Brietianum, anno 252. in cauſa Novatiani Clinici, anno 265. in cauſa Pauli Samoſateni, anno 325. in Arii cauſa, ut cætera miſſa faciam, cur, inquam, non ad Scripturam, ſed ad Concilium, modo Romanum, modo Antiochenum, modo Nicænum, ut ſibi explicarentur Scripturæ, Fideles communiter cucurrerunt? Nulla quippe Fidei cauſa, nulla diſceptatio per ſolam Scripturam, abſque examine, & judicio Eccleſiæ, finem unquam ſortita eſt. Ipſa etiam in Synagoga cum excitarentur diſſidia, non ad ſolos Scripturarum codices, ſed *ad Sacerdotes Levitici generis* ex præ-

cepto

Digitized by Google

cepto Domini *Deuteronomii* 17. a partibus diſſidentibus confugiendum erat: nec de legalibus tantum, ut adverſarii explicant, ſed *de lege, de mandato, de juſtificationibus*, ut ex 2. Paralipomen. cap. 19. v. 10 innoteſcit.

VII. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit* docuit B. Petrus epiſt. 2. cap. 1. v. 20., nimirum, teſte Baſilio Magno in epiſt. ad Neocæſarienſes, verus Scripturæ ſenſus privato hominis ingenio definiri non poteſt, ſed, ſicuti afflante divino Spiritu editus eſt, ita per ejuſdem divini Spiritus promiſſum Eccleſiæ lumen unice eſt penetrandus. *Non enim* (Apoſtolorum Princeps ibidem ſubjungit) *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati* (ſeu, ut græce legitur, *Spiritu Sancto acti, & impulſi*) *loquuti ſunt Sancti homines Dei*.

VIII. Jure ergo non aliunde hæreſes naſci docuit Auguſt. tract. 10. in Joannem, *niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere, & audacter aſſeritur*. Siquidem, ut idem S. Doctor ſcribit in epiſt. ad Voluſianum num. 3., tanta in Scripturis Sanctis *latet altitudo ſapientiæ, ut annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi id contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: cum conſummaverit homo, tunc incipit*. Quare ſcribebat Vincentius Lirinenſis in commonit 1. cap. 38. *Quid facient catholici homines, & Matris Eccleſiæ Filii? quonam modo in Scripturis ſanctis veritatem a falſitate diſcernent? Hoc ſcilicet facere magnopere curabunt..., ut divinum canonem ſecundum univerſalis Eccleſiæ traditiones, & juxta catholici dogmatis regulas interpretentur*: ut poſtmodum ſeſſ. 4. definivit Synodus Tridentina.

IX. Et quidem merito. Quid enim ex Scripturis clarius, quid luculentius proferri poteſt his Matthæi verbis cap. 26. v. 27. *Hoc eſt Corpus meum?* & tamen obſcura hæc adeo Zuinglianis videntur, Caroloſtadianis, Calviniſtis, Lutheraniſque, ut ubi illi (Sacramentarios dico) nihil in Euchariſtia, præter ſignum vacuum, meramque Chriſti Corporis figuram, temere agnoſcunt, iſti (Lutherani ſcilicet) veram Chriſti carnem, & ſanguinem cum panis, vinique ſubſtantia hoc in Sacramento una pariter conſiſtere fabulentur.

X. Audaciſsimus ergo ex omnibus, qui de vero Scripturarum ſenſu ultimum ſibi, incorruptum, graviſſimumque judicium adſcribat, deneget vero Pontifici, pro cujus fide rogavit Chriſtus, deneget generalibus Synodis, in quarum medio Chriſtus ſe perpetuo futurum eſſe promiſit

XI. Ad dirimendas duos inter homines de teſtamento aliquo obortas lites non ſola ſufficit teſtamenti productio, ut Auguſtinus adnotat in pſalmum 21. num. 30., ſed auctoritas exigitur judicis, qui, poteſtate a Principe ſibi facta, illud ad unum potius, quam ad alterum judicet pertinere: & ſufficiet forte, cum de Scripturarum intelligentia oboriantur controverſiæ, ſufficiet, inquam, ſola Scripturarum productio, quin auctoritas quæratur Eccleſiæ, quæ judex in controverſiis hujuſmodi a Domino conſtituta quid ea de re ſentiendum, quidve credendum ſit, judicii firmitate declaret? Æternæ procul dubio lites futuræ eſſent, ſi talibus

Digitized by Google

bus in controverſiis Eccleſia a Deo judex conſtituta audienda non eſſet, idque providentiæ, qua regimur, adverſaturum quammaxime, quem latere poſſit, arbitror eſſe neminem.

XII. Non ſufficit ergo omnibus dogmatibus definiendis ſcriptum Dei verbum, quod non omnibus apertum, neque perſpicuum eſt.

De Diaconiſſis.

I. ETſi ſoror Moyſis exodi 15., Debbora Judicum 4., Holda 4. Regum 22. & 2. Paralipomenon 34, Anna Lucæ 2., ac Philippi Diaconi quatuor Filiæ Virgines Actorum 21. Prophetiæ dono inſignes extitiſſe dicantur, nullibi tamen legitur mulierem aliquam Sacerdotali munere functam eſſe: *Prophetia*, (inquit Angelicus noſter Præceptor in 4. ſentent. diſt.25. qu.2. art.1. ad 1.) *Prophetia non eſt Sacramentum, ſed Dei donum. Unde ibi non exigitur ſignificatio, ſed ſolum res: & quia, ſecundum rem, in his, quæ ſunt animæ, mulier non differt a viro, cum quandoque, quantum ad animam, inveniatur melior multis viris, ideo donum Prophetiæ, & alia hujuſmodi poteſt recipere, ſed non ordinis Sacramentum.*

II. Et quidem merito: Cum enim, qui ad ſacrorum ordinum dignitatem evehitur, verbum vitæ loqui debeat in Eccleſia, pacis Evangelium annunciare, & ratione ſuſceptæ dignitatis in ſibi ſubditos dominari, profecto, ſecundum Dei inſtitutionem, a Sacerdotio mulieres ſunt excludendæ, quæ, teſte Apoſtolo 1. *ad Corinth.* 14., 1. *ad Timoth.* 2., *atque ad Epheſios* 5. ad ſubjectionem factæ ad ſpirituale imperium nequeunt deſtinari. *Si Sacerdotium* (ſcribebat Epiphan. in hæreſ. 79.) *ſi Sacerdotium mulieribus mandatum foret..., nulli potius, quam Mariæ illud in novo Teſtamento committi debuit, cui tantus honos eſt habitus, ut gremio, ſinuque ſuo Deum, Deique Filium exciperet... Verum longe Deo aliter viſum eſt.*

III. Hinc Montaniſtæ, Collyridiani, & quidam Marcus de Gnoſticorum, ac Valentinianorum grege ſceleſtiſſimus homo, quo fœmineum ſexum ad Hierarchicas eveheret functiones, cum nullum ex vetere, novoque Teſtamento haurire poſſet exemplum, ad ſtultos ethnicorum ritus ineptiſſime confugiebat.

IV. Ne ergo in dementiſſimam horum ſententiam deſcendatur, dicendum omnino, pias illas mulieres, quæ a primis Eccleſiæ ſæculis ſub Diaconiſſarum nomine Eccleſiæ miniſterio mancipabantur, non idcirco Eccleſiæ mancipatas fuiſſe, ut altari inſervirent, quod proprium Diaconorum eſt, ſed ut ceteras erga mulieres religioſa charitatis officia exercerent.

V. Diaconiſſæ enim, dum Sacramentum Baptiſmatis triplici, vel unica immerſione conferebatur, adultas fœminas ad lavacrum veſtibus exuebant, ut ſcribit *Epiphan. hæreſi* 75., eiſque, poſt ſuſceptum Baptiſma, talem navabant operam, ut Eccleſiæ miniſtrorum aſpectum omnino evitarent: Cum caput, & frons mulieris baptizandæ ſacro chriſma-

te

Digitized by Google

te ungi ſoleret, Diaconiſſæ; quemadmodum refert auctor *Conſtitutionum lib.* 3. *cap.* 15., ejuſdem ſacri chriſmatis per totum corpus diffundendi munere fungebantur: Cum rudes, imperitæque fœminæ in cathecumenos referrentur, *ex Decr. Conc. Carthaginenſis* IV. *can* 12., eas primis Fidei rudimentis, ac Chriſtianæ vitæ legibus Diaconiſſæ imbuebant: Cum ea laudabilis conſuetudo in Eccleſia vigeret, ut non permixte, ſed ſeparatim viri, atque mulieres divinis myſteriis intereſſent, portam, qua Templum fœminæ ingrediebantur, Diaconiſſæ cuſtodiebant, introeuntes admittebant, atque, ad præcavendum confuſionis periculum, propriam cuique ſedem ipſæ aſſignabant: *Saluto* (ſcribebat Ignatius Martyr, vel quicunque ſit Auctor epiſt. ad Antiochenos) *ſaluto ſanctarum portarum cuſtodes Diaconiſſas*: Cum tandem mulier quæcunque, quavis urgente neceſsitate, Epiſcopum, vel Diaconum adire vellet, illa non niſi a Diaconiſſa caſtimoniæ teſte, ſimulque cuſtode in illius conſpectum producebatur: *Ad Diaconum* (ſancitum fuerat lib. 2. cap. 16. Conſtitutionum, quæ vulgo apoſtolicæ nominantur) *ad Diaconum, vel Epiſcopum nulla mulier ſine Diaconiſſa accedat*: Quin immo ad ethnicorum præcavenda ſcandala, & obſtruenda ora inique loquentium, aliquando Diaconiſſæ, vice Diaconorum, ſive ut Epiſcoporum juſſa deferrent, ſive ut ſpiritualem, temporalemve mulieribus opem darent, in Domos Fidelium mittebantur, ut ex citato Auctore *conſtitutionum lib.* 3. *cap.* 15. edocemur.

VI. Cum itaque Diaconiſſarum munia, ſi propius inſpiciantur, non ad Sacrificium, ad quod peragendum ſacra ordinatio eſt inſtituta, ſed ad merum charitatis officium pertinerent, erraret quidem maxime, qui pias ejuſmodi mulieres ſub Diaconiſſarum nomine Eccleſiæ miniſterio mancipatas vero Diaconatus ordine inſignitas fuiſſe autumaret.

De oſculo pedum Papæ.

I. IN confeſſo eſt apud omnes, illud obſequii genus, quo oſcula figuntur pedibus Romanorum Pontificum, liberum ab initio fuiſſe, nullaque lege ſancitum. At unanimes omnes prædicant uſu id, ac conſuetudine præſcriptum eſſe, quæ vim legis decurſu temporis ſit ſortita. *In his enim rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura Divina, mos Populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt* ſcribit Auguſt. epiſt. 56. ad Caſulanum num. 2. Hujuſmodi vero uſum in monumentis hiſtoriarum, quæ pertinent tum ad Orientalis, tum ad Occidentalis Imperii Principes, videamus.

II. Primus ſane, quantum opinor, qui ſine ulla controverſia hoc obſequii genere a Græcis Imperatoribus cultus ſit, is eſt Joannes Papa I. a Theodorico Italiæ Rege Conſtantinopolim ad Iuſtinum ſeniorem legatus. Huic enim, ut refert Anaſtaſius Bibliothecarius, *occurrerunt a milliario duodecimo omnis Civitas cum Cereis, & Crucibus . . . quin & Juſtinus Auguſtus humiliavit ſe pronus in terram, & eum adoravit.* Iiſdem ferme honoribus exceptus eſt Agapitus Papa a Juſtiniano itidem

ſenio-

Digitized by Google

ſeniore, dum, ut addit citatus Auctor, *Piiſſimus Auguſtus Juſtinianus gaudio repletus humiliavit ſe Sedi Apoſtolicæ, & adoravit Beatiſſimum Agapitum Papam*. Quod ſi Imperator ipſe hæreticorum fraudibus circumventus honorem hunc non præſtitit Vigilio Papæ, præſtitit tamen Populus *pſallens ante eum uſque ad Eccleſiam S. Sophiæ, & dicens: ecce advenit dominator Dominus*. Juſtiniani vero ſenioris veſtigiis non inſtitit Juſtinianus junior, ſed honorificentius acceptum voluit Conſtantinum Papam, cum hic Conſtantinopolim appropinquaret. Septimo enim ab ea urbe lapide ejuſdem Imperatoris filius cum Proceribus Aulæ Patriarcha, & Clero obviam ei prodiit; Imperator autem, ut primo Pontificem Maximum inſpexit, pronus in terram illius pedes illico oſculatus eſt. Ita Anaſtaſius.

III. Ceterum Orientalium Imperatorum in Pontifices venerationem major longe ſubſequuta eſt Occidentalis Imperii Principum. Siquidem compertum his omnibus fuit, non niſi maximum obſequii genus decere Pontificem regentem Populos, monentem Epiſcopos, edentem omnibus leges, & præcepta ſempiternæ ſalutis. Anaſtaſius de Luitprando Longobardorum Rege memoriæ prodidit, quod cum is Romam veniſſet barbarico eam furore populaturus Gregorii II. majeſtate perterritus repente concidit ad pedes ejus. Idem quoque Anaſtaſius penes Thomaſſinum de Eccl. diſcipl. parte 2. lib. 3. cap. 62. num. 1. & 2. narrat, quod Pipinus potentiſſimus Rex obviam factus Stephano II., qui Gallias adierat, *de equo deſcendit, ac cum magna humilitate terræ proſtratus una cum ſua Conjuge, Filiis, & optimatibus ſanctiſſimum Pontificem ſuſcepit*. Teſtatur Paulus Æmilius in vita Caroli Magni, quod *prius Adriani Pontificis pedes oſculo contigit, quam ſe illi amplectendum daret*. Litteris commendavit Theganus, quod eundem Stephano IV., alias V. religioſum cultum præſtitit Ludovicus Pius.

IV. De aliis Imperatoribus, & Regibus, qui ſubſequuti ſunt, eadem, quæ de his, fama pietatis, & in Romanos Pontifices venerationis eximiæ. Omnes enim fere Reges, quoties eis data occaſio eſt, ad pedes Pontificum procubuiſſe memorat Anaſtaſius in hiſtoriis Pontificum, ac potiſſimum in Valentino, Sergio II., Leone IV., Benedicto III., aliiſque. De Conrado Romanorum Rege accepimus a Baronio ad annum Chriſti 1095. & a Thomaſſino in loco citat. cap. 65. num. 4., quod Cremonam veniens Urbanum II. plenus obſequii coluit. Idem præſtitit Callixto II. Willelmus Calabriæ, & Apuliæ Dux. Sugerius ad annum Chriſti 1130. meminit Innocentii II., ad declinanda mala, quæ ſibi a Petro Leonis Pſeudo pontifice intentabantur, in Gallias profecti, eique refert obviam progreſſum eſſe Regem ad Flaviniacum, ſive ad Cœnobium S. Benedicti ad Ligerim, & demiſſo ad ejus pedes capite toties coronato, tanquam ad ſepulcrum Apoſtolorum Principis procubuiſſe; Quo humilitatis obſequio Rex Angliæ eundem erga Pontificem perfunctus eſt.

V. Atque hinc facile intelligitur, cur, dum renueret Fridericus I. Imperator inaudito quodam ſuperbiæ faſtu conſuetum obſequii genus Adria-

Digitized by Google

Adriano IV. Pontifici exhibere, Pontifex ipſe, magni, infractique animi vir cum eſſet, teſte Baronio ad annum Chriſti 1155., tam luculenter oſtendit, illud ſibi ab Imperatore præſtandum, ut ad ejus pedum oſcula ſtatim cucurrerit Fridericus, ceteraque de more adimplenda omni feſtinatione voluerit adimpleta. Quare Thomaſſinus in citata parte 2. de Eccl. diſcip. lib. 3. cap. 65. num. 5. circa medium: *mirari ſubit*, inquit, *qui Pontifex cultum religioſum ab origine liberum tanto vigore extorquendum ab invito Imperatore cenſuerit; ſed illud quoque menti ſuccurrere debet, quod ſæpiuſcule inculcatum a nobis eſt: quæ officia ſpontanea primum, & libera ab exordio ſunt, longo uſu, & conſuetudine confirmari; inveteratas autem, & ita confirmatas conſuetudines in leges valere demũ. Etenim ſive jura, ſive officia appellites, tum civilia, tum eccleſiaſtica id genus complurima ſunt*. Huc uſque clariſſimus Auctor, cujus ſententia ex his, quæ poſtmodum ſubſequuta ſunt, luculentiſſime confirmatur. Porro detectam in Friderico repugnantiam ad Imperii Principes detulit Adrianus, cumque inter eos, ut rei gravitas poſtulabat, gravi, ſerioque conſilio examinata diu, ac librata fuiſſet, teſte Baronio, ab omnibus conſtitutum eſt, eoſdem a Friderico honores Pontifici exhibendos, quos priſci Imperatores eximii, Lotharius nempe, aliique Adriani prædeceſſoribus perſolviſſent.

VI. Quod ſi poſtea prævaricatus Fridericus in Alexandrum III. Adriani ſucceſſorem arma moverit, eumque, Victore oppoſito, in Gallias ſecedere coegerit, nihilo tamen minus Alexander ipſe a Ludovico VIII. Franciæ, & ab Henrico II. Angliæ Regibus tanta acceptus eſt veneratione, ut nunquam magis. Quin immo, ſedata poſtmodum ea Sacerdotii, & Imperii diſſenſione, Fridericus idem Venetiis in veſtibulo S. Marci, tanta humilitatis, ac obſequii ſignificatione ejuſdem Alexandri pedes oſculatus eſt, ut eam, nobiliſſimam alioquin, Urbem ad ſplendidius majeſtatis faſtigium evehere viſus ſit. Anilium tamen fabularum ab hæreticis confictarum in numero habemus, quod Alexander Friderici caput pede preſſerit in contemptum: Ut adverſus Picininum de vera Chriſti Eccleſia tomo 1. cap. 15. §. 6. num. 29., ſcite, ſapienterque demonſtrat Eminentiſſimus Gotti, vir profecto talis, ut ejus in ſcribendo doctrinam mirentur omnes, pietatem autem in agendo nemo deſideret.

VII. In Pontifice ergo Apoſtolorum Principem cum tota Pontificatus, Regiique Sacerdotii majeſtate regnantem Fideles ita ſemper reveriti ſunt, ut Græcus & ipſe Imperator, Rainaldo teſte, Ferrariæ occurrens Eugenio IV. ad genua omnino procubuiſſet, ſi id ei Pontifex permiſiſſet. Hoc autem quod ſchiſmaticorum Imperatori denegavit Eugenius, permiſit Friderico III. Romanorum Regi Nicolaus V., ut nimirum cum Imperatrice ſuos ad pedes procumberet, eos oſculaturus. De Chriſtierno Daniæ Rege memoriæ proditum eſt, quod pedes Sixti IV. Pontificis oſculatus non potuit adduci, ut ſurgeret, donec Chriſti Vicarius loqueretur. Carolum VIII. Gallorum Regem fuiſſe novimus, qui coram Alexandro VI. bis genuflexit, eo utpote, qui imaginem præferebat in terris omnia regentis, & moderantis Dei.

VIII. Non

Digitized by Google

VIII. Nec latere nos debent quæ de Franciſco I. refert Rainaldus, quod nimirum Bononiæ Leonis X. pedes, manus, faciemque oſculatus gallico ſermone teſtatus ſit, incredibili ſe gaudio perfundi, quod B. Petrum in ſuo ſucceſſore intueretur, eique eam præſtaret obedientiam, quam filius patri impendere, & præſtare tenetur. Tandem eorum ex numero, qui Pontificem, ut decet, quam maxime venerati ſunt, Rainaldus memorat fuiſſe Carolum V. Imperatorem vere ſummum, ſcientiaque rei militaris cum primis Romanæ Reipublicæ luminibus comparandum. Hic nanque cum Bononiam, ut a Clemente VII. corona donaretur, adiiſſet, genu flexit coram Pontifice, pedes, manuſque, & genas illius oſculo coluit, ac tam demiſſe ſe geſſit, ut Pontifex ulterius eum progredi vetuerit.

IX. Fuit ſane proprium Chriſtianæ Reipublicæ Principum, ac quoruncunque Chriſtianorum (quemadmodum animadvertit Anaſtaſius in Leone IV.) ut quoties Pontificem inviſerent, toties ad illius pedum oſcula *pro antiquo more* advolarent. Jam vero Anaſtaſius id ſcribit de more, qui vigebat anno 847.; Igitur, ſi antiquus eo tempore is erat, liquido innoteſcit, quantum Novatores deſipiant, dum a Romanis Pontificibus eum recenter inſtitutum dicunt, cum temporalis dominii jura latius explicarint: Liquet etiam quam recto, ſapientique conſilio inter antiqua Pontificis decora percenſuit S. Gregorius VII., quod ipſius *pedes Principes deoſculentur*. Enim vero ſi a primis Eccleſiæ ſæculis id honoris exhibitum eſt Epiſcopis, nulla licet inter alios Primatus prærogativa præcellerent, ut de Epiphanio refert Hieronymus epiſt. 61., de Baſilio Amphilochius, de Ambroſio Paulinus Nolanus, ſeu quivis alius, qui illius geſta conſcripſit, equidem multo magis exhiberi debuit Pontifici, qui omnium Epiſcoporum caput dictus eſt in epiſt. Synod. Concil. Chalcedonenſ., Epiſcoporum Magiſter, & Pater in orat. acclamat. VI. Synodi general., Terreſtris Deus in actis, quæ præceſſerunt Synodum, quam Gregorius III. Romæ hic habuit, ut periculum, quod a Leone Iſaurico in omnes intendebatur, ſtrenue, ac fortiter propulſaret; Qui denique is vere eſt, cui Chriſtus cum dixerit *paſce oves meas*, *paſce agnos meos*, voluit, ut utar verbis S. Eucherii Epiſcopi Lugdunenſis, ſive Euſebii Galli homil. in pervigil. B. Petri, voluit, ut unus ovili pariter, ejuſque Ducibus præſideret, unus traderet & optima gregi paſcua, & perneceſſaria Paſtoribus documenta.

X. Firmiſſimis ergo innixa eſt momentis doctrina, quam propugnamus, quod nimirum non Regni faſtus, ut Novatores blaterant, ſed ſumma Romani Pontificis poteſtas, dignitas, amplitudo ex Dei voluntate omnibus manifeſtanda Reges etiam, ac Principes ad illius pedum oſcula perducit. Quemadmodum enim noſtræ Religionis veritas vel ex eo maxime innoteſcit, quod tot Regna, ac Imperia idololatricis ſuperſtitionibus antea addicta, una Dei omnipotentis virtute, eas abdicarint, atque ad unius Hominis Crucifixi adorationem devenerint, in hoc nanque verum Deum, quem antea deſpectum habuerant, confeſſa ſunt: Ita & Romanæ ſedis Primatus ex eo etiam luculentius apparet, quod tot Re-

ges,

Digitized by Google

ges, ac ſummi Principes uno Dei ductu, contra ingenitos dominandi ſtimulos, ad illius pedum oſcula procumbant, quem ante Pontificatum quandoque ſe ipſis duxerant inferiorem. Tanto enim, tamque repentino, & novo ſubjectionis obſequio, non hominem, quem antea viderant, in electo Pontifice, ſed ipſum ſummum Deum in illius Vicario venerantur. Quocirca & ipſe ſcripſit Gerſonius tom. 1. de poteſtat. Eccleſ. conſiderat. 11., *ex conſideratione poteſtatis ſtupendæ, & miraculoſæ Pontificis Imperatores etiam & Reges procumbunt ad oſcula pedum Papæ* (& aliquibus interjectis). *Hinc fit præterea, quod abſque mendacio, vel adulatione Papa nequiſſimus poteſt appellari ſanctiſſimus, poteſt adorari cultu duliæ uſque ad oſcula pedum*. Et Innocentius III. de myſt. Miſſ. lib. 2 cap. 37. Diacono præcipit, ut, *non manus, ſed pedes ſummi Pontificis oſculetur . . ., ut eum illius oſtendat eſſe Vicarium, cujus pedes oſculabatur mulier illa, quæ fuerat in civitate peccatrix*.

XI. Quid quod iſtud obſequii genus non tantum ad declarandum Romani Pontificis Primatum, verum etiam ad commendandos Dominicæ Crucis triumphos potiſſimum ſit inſtitutum? Ad Chriſti enim veſtigia Fideles advolant, dum ad Papæ genua, & ad ejus oſculandos pedes accedunt. Interrogati porro, cur cultum hujuſmodi Pontifici tam demiſſe impendant, id reſpondent, quod de Hebræorum Pontifice dixit Alexander Macedo relatus a Joſepho antiquitatum Judaicarum lib. 11. cap. 8. *Non hunc ſe adoraſſe, ſe Deo, cujus Pontifex eſt, honorem exhibuiſſe*. Pontifices quoque, quod exigunt, obſequium ſibi non quidem, ſed Chriſto adjudicant, cujus Crucem in calceis, quibus figuntur oſcula, oſtendunt. Crux æque ipſis pro baculo eſt, Crucem in vertice Tiaræ, ac in utraque Pallii parte geſtant, Crucem pendentem collo præſeferunt; Uno verbo dicam, a capite ad pedes hoc ornati ſalutari ſigno ſummam ſibi reverentiam conciliant. Hæretici ergo dum nos, qui Pontificem veneramur, irrident, eos ſe proferunt, quos Paulus ad Philipp. 3. v. 19. nominat *inimicos Crucis, quorum finis interitus*.

XII. Quare jure merito Othoni Friſingenſi Epiſcopo, imperiali licet conſuetudine, & conſanguinitate floreret, *Cronic lib. 4 in Prolog.* ea animo inſedit ſententia, ut ſcriberet, ſummi, ſempiternique Numinis providentia factum eſſe, ut e pulvere, & tenebris emerſa Eccleſia eum in ſplendorem proveheretur, quo de terrenis omnibus poteſtatibus, & imperiis toties triumpharet, quoties ſummi terrarum Principes, ac Reges Crucem Chriſti oſculo pedum Pontificis venerarentur.

XIII. In Pontifice namque Chriſti tanquam Vicario adimpleta videntur, quæ de Chriſto primario Eccleſiæ capite vaticinatus eſt Iſaias cap. 60. v. 14., dum ſcripſit *& venient ad te curvi Filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum*. Siquidem ad Chriſti gloriam cultum hujuſmodi pertinere, nemo certe ignorat, niſi qui in veritatis ſtudio hoſpes omnino, & peregrinus inveniatur. Præſertim cum Pontifices, ubi aliter ipſa Dei gloria exigat, ad ultimam uſque humilitatem ſe ipſi abjicere non dubitent. Peregrinorum enim pedes in Cœna Domini ad Chriſti imitationem lavant, eoſque humillime etiam oſculantur.

XIV. Ut

Digitized by Google

XIV. Ut ergo ritus oſculandi pedes Romani Pontificis divinis litteris, rationi, hiſtoricisque monumentis apprime convenit: Ita ſingularis, atque inaudita patet hæreticorum veſania, dum hunc eundem morem ſanctiſſimum maledictis, ac conviciis carpere non verentur.

De jure Gentium, & Naturæ.

I. QUi de jure Naturæ, & Gentium ſermonem hactenus inſtituere in tam diverſas abierunt opiniones, ut verbis vix, aut ne vix quidem exprimi poſſit. Alii enim utrumque jus externa dumtaxat ſignificatione diſtingui autumant, quod nimirum Naturæ jus ad ſingulos referatur homines, jus vero Gentium integris nationibus accomodetur; Atque inter hos principem ſibi locum vindicat Jacobus Lehmannus *in Trutina, vulgo Bilance Europe cap.* 2. §. 21., ubi plures, qui ſibi in eadem opinione præfulſerint, citat, Puffendorfium ſcilicet in elementis Juriſprudentiæ univerſalis defin. 13., & lib. 2. de jure Naturæ, & Gentium cap. 3., Chriſtianum Thomaſſium in Inſtitut. Juriſpr. Divin. l. 1. cap. 2., Joannem Nicolaum Hertium in Juriſprudentia univerſali ſectione 1., Emmanuelem Weberum in Themat. ſelect. ad Puffendorfium, diſputatione 1., Themate 13. Alii jus Gentium alias complecti leges, quam jus Naturæ, proindeque inter ſe differre quam maxime docuerunt, ut Hermannus Conringius Diſſertatione de Legibus §. 24., Petrus Gaſſendus in Philoſophia morali, Ulricus Obrechtus obſervationibus in Hugonis Grotii librum 1. de jure belli, & pacis cap. 1., Joannes Jacobus Mullerus in Inſtitut. Juriſprud. Gent. lib. 1. cap. 1., Rachelius de jure Gentium §. 84., Franciſcus Schmierius in Juriſprudentia Canonico-Civili lib. 1. tractatu 1. cap. 4., ſectione 1, plurimique ex Theologis noſtris, qui, utpote noti, omittuntur. Alii tandem alia pro libito excogitarunt.

II. Qua de re ut non tantum auctoritate ſcriptorum, quantum rationum pondere pugnare videamur, extremis omiſſis, mediis adhæremus, ea præſertim de cauſa, quod diverſa principia, terminos diverſos, diverſumque quodammodo juris utriuſque objectum eſſe intelligimus. Naturæ enim jus proxime a Deo, Gentium tamen ex arbitrio hominum ortum habet; Illud vere omnes, & ſingulos homines omnino afficit, hoc eos ſolummodo moratos populos reſpicit, qui ſponte ſua ejuſdem legibus ſe ſubjecerunt; Illud honeſta duntaxat, ut ſequenda, atque inhoneſta exhibet ut fugienda, hoc autem adiaphora adhuc complectitur, certiſque conditionibus determinat ad obligandum.

III. Itaque etſi multa ſint, propter quæ jus Gentium conveniat cum jure Naturæ, plurima tamen eſſe contendimus, propter quæ jus Gentium a Naturæ jure differre quam maxime detegatur.

F I N I S.

Digitized by Google